Cretico. Ruffinus perperam: *centesima tertia octogesima Olympiade, Q. Hortensio, & Q. Metello Coss.* Annus tertius Olymp. CLXXVII, est Iphiti DCCVII, qui iniit anno Urbis DCLXXXIV, ante Consulatum Hortensii & Metelli, qui cadit in annum Urbis DCLXXXV. Quare à Nisan anni Per. Jul. 4645, quo Palilia Varroniana DCLXXXV. cœperunt, computatur primus annus Hyrcani. Sed in eo rursus Josephus falsus est, sibique ipsi contradicit; quòd Hyrcanum matre Salome superstite, ac regnum administrante, novem annis Pontificatum obtinuisse scribit lib. XX, c. VIII. ac nonus quidem in annum ipsum incurrit, quo Coss. fuere Hortensius, & Metellus. unde novum exordium Hyrcani repetit Josephus. Exinde pulsus ab Aristobulo fratre, biennio pòst à Pompeio restitutus est, Coss. Cicerone, & Antonio, Urbis anno DCXCI. Ne multa. verùm Hyrcani primordium convenit anno Urbis DCLXXVI, quo pater ejus Jannæus Alexander obiit. Nonus ergo iniit anno Urbis DCLXXXIV, Iphiti DCCVI. exeunte, Per. Jul. 4644. qui quidem longè antecedit annum illum Urbis; cui ex Josephi hallucinatione, vel ejus librarii, nonus Hyrcani competere videtur. Est enim urbis DCCVI, Per. Jul. 4666, quo cœpit Iphiti DCCXXIX, sive primus Olymp. CLXXXIII.

Quæ cùm ita sint, credibile est Josephum, cùm ea, quæ de favore & gratia junioris Hyrcani apud Cæsarem & Romanos exposuerat, Senatus consultis ipsis allatis approbare vellet, ac varia penes se haberet Romanorum, aliarúmque gentium decreta diversis edita temporibus in aliorum Pontificum gratiam; nominis similitudine deceptum, aut ipsum, aut ejus amanuensem, illud ex ea copia produxisse, quod ab Senatu quondam Hyrcanus major impetrarat. Sanè lib. I. Mac. cap. XIV. 24, Simon Joannis Hyrcani pater Numenium Romam destinavit, per eúmque clypeum aureum Romanis obtulit. In eo porrò SCto, quod Josephus per imprudentiam ad Hyrcanum juniorem transtulit, è tribus Legatis Judæis, unus est Numenius Antiochi F. ut verisimile sit, eumdem, pòst mortem Simonis, ab ejus filio
V. de emend. pag. Joanne Hyrcano Romam denuò esse missum. Quod si verum id esset, quod Scaligero placuit, Simonem ipsum Hyrcani cognomen habuisse; dicerem illam ab Josepho memoratam legationem eamdem esse cum ea, cujus Scriptura meminit. Sed quia primus ex Hassamonæis Hyrcani nomen, auctore, ut alio loco dicetur, Josepho, Joannes Simonis F. obtinuit, satius videtur duplicem legationem totidem à Pontificibus destinatam credere. Ita quidem in Senatus consulto hallucinatus est Josephus. Psephisma verò Atheniensium ad Hyrcanum juniorem attinet, qui Alexandri F. ibidem dicitur. Sed nullus certus annus Hyrcani in eo præscribitur.

Ex iis evidentissimè patet, quàm gravis sit Scaligeri lapsus, qui de Macedonica Periodo, ejúsque contextu, & cum Olympica Periodo comparatione, novam illam, & à nullo traditam hactenus doctrinam super Josephi unico illo testimonio fundaverit. Nam neque immanitatem anachronismi, & erroris illius animadvertit: neque, ut rectè sese habeant cetera, Josephi verba ipsa sincera, & integra posuit. Non est igitur consequens, Macedonicam Periodum eamdem esse cum Olympica, quia anno nono Hyrcani, qui in annum Iphiti DCCXIV. incurrit, Neomenia in secundo anno Tetraëteridis in XVI. Munichyonis æquabilis incidit. Nonus enim Hyrcani annus longè abest ab Iphiti DCCXIV. & si nono anno Hyrcani Psephisma Athenis esset editum, contigisset hoc ex Josephi ratiociniis, anno Iphiti DCCXXVIII. exeunte, adeóque quarto anno Tetraëteridis Olympicæ, vel anno sequenti, primo Tetraëteridis, non secundo. Præterea Josephus primum Hyrcani Pontificis, non anno primo Olympiadis CLXXVII, sed tertio, ut dictum est, assignat; qui est Iphiti DCCVII. Unde nonus, cum Iphiti DCCXV. concurrit; non cum DCCXIV. Quod si primus Hyrcani esset Iphiti DCCV, sive primus Olympiadis CLXXVII; nonus ejusdem non DCCXIV, sed DCCXIII. fuisset. Finge enim exeunte anno DCCV. primum Hyrcani cœpisse, certè nonus exeunte DCCXIII. initium habuit: proindéque Munychion ille, qui in annum nonum Hyrcani cecidit, quíque decimosexto die Novilunium habuit, fuit Iphiti DCCXIII. exiens, & primus Olympiadis CLXXIX, ut & Tetraëteridis.

Denique ut somnia ista ponderibus argumentorum penitus obruantur, demus hoc Scaligero; Hyrcani nonum annum incidere in Iphiti DCCXIV, tamen non propterea de Macedonica periodo quod cupit efficere poterit. Nam cùm annus iste sit Iphiti DCCXIV, & Olympicæ periodi XXX, quæro qua tandem ratione Atticæ Tetraëteridis secundus esse possit; quando id à Scaligero toties decretum est, annum Tetraëteridos Atticæ primum Olympicæ tertium esse: unde annus secundus Olympicæ, quartus erit Atticæ. Est autem in exemplo isto secundus; quia Munychion periodicus, qui Panemus vocatur, Novilunium habet in die XVI. quod quidem anno Tetraëteridis Atticæ secundo accidit. Quare necesse est mutatam esse rationem Tetraëteridos Atticæ, ut hæc cum Olympica in concordiam redierit. Atque hoc quidem Scaliger, cùm hìc, tum libro V. verum existimat. Scribit enim hoc loco primum Athenienses à Macedonibus subactos annum eorum accipere coactos fuisse. Itaque deinceps Tetraëtericos menses Macedonicos, lunares verò Calippicos esse constitutos. At libro V. pag. 397. disertioribus verbis idem asserit: Calippum, cùm anno Iphiti CCCCXLV, cyclo Lunæ XIII, lunares Neomenias ad eosdem pervenisse dies animadverteret, quibus Olympiadum initio fuerant, Tetraëtericas Neomenias retexuisse, ac pro anno LXV. Olympicæ periodi, Atticæ verò XXVII, primum periodi suæ annum instituisse. Cùm autem Alexandri victoria ad Arbela incidisset in annum secundum Olympiadis, non potuisse ab hoc ipso anno periodum auspicari suam; ne annus Tetraëteridis suæ primus cum Olympicæ secundo concurreret, ideóque in annum XIX. vertentem illius initium distulisse, & eam periodum Tetraëtericam Athenienses admisisse, ut ex illo psephismate colligit. Ex quibus evidens est, post Calippicam emendationem, Atticam Tetraëteridem mutatam esse penitùs, & eamdem cum Olympica factam; si quidem Athenienses anno secundo Tetraëteridis Olympicæ Atticæ quoque Tetraëteridis secundum annum agerent. Atqui quemadmodum ex hoc Josephi loco, ubi annus secundus Tetraëteridis Atticæ cum secundo Tetraëteridis Olympicæ congruit, si quis Atticam Tetraëteridem olim eamdem cum Olympica fuisse pertenderet, reclamaret Scaliger, & id ante Calippicam emendationem institutum negaret, antea verò Atticam Tetraëteridem diceret ab Olympica discrepasse. Ita cùm ex hoc eodem exemplo Macedonicam Periodum veterem eamdem fuisse cum Olympica pugnat, nemo illi debet concedere. Ut enim Atticæ Tetraëteridos mutata ratio est, sic & Macedonicæ mutari potuit; adeóque ante Calippicam formam alia omninò Macedonibus attribui potest, & ab ea, quam fingit ille, diversa. Nihil ergo promoveret Scaliger, tametsi superiora illa, quibus tota ratiocinatio fulcitur, vera essent, & solida: quæ nos tamen absurdissima esse monstravimus. Nam quid in hac tota de Macedonica Periodo disputatione præter levissimas suspiciones, & divinationes cernitur? Cur in illo Atheniensium psephismate, licèt Macedonici menses illigati putentur, etiam Tetraëtericorum annorum dispositio locum habuisse creditur? Quis Calippicæ mutationis istius fundus, atque auctor est? Quis in annum XIX. Tetraëtericæ periodi principium docuit à Calippo esse dilatum? Denique quinam exploratum est, Panemum, de quo in psephismate mentio est, popularem Atheniensium fuisse mensem, cùm Syromacedonum, ideóque Judæorum, esse potuerit, eóque Athenienses non tamquam suo, sed peregrino, & eorum, quibuscum fœdus iciebant, proprio uti voluerint, quo psephisma suum tam patriis, id est Atticis, quàm sociorum mensibus consignarent? Qua conjectura nihil est probabilius; imò verò certius nihil: & ea quidem magnam Scaligerianæ omni doctrinæ de Macedonica periodo ab Atheniensibus usurpata securim injicit. Tædet nugas istas perscrutari diligentiùs, cùm una, ac brevissima voce confici negotium omne possit, si quæ sine teste protulit universa negemus. Verumtamen quoniam ita cœpimus, singillatim omnia discutienda sunt; ut quantum sæculo nostro, & iisce litteris illuserit, quantáque confidentia in ordinanda temporum ratione grassatus sit, agnoscant illi, qui Scaligeri figmenta pro divinis decretis, & oraculis amplectuntur.

CAPUT

CAPUT XXVII.

Refutantur ea, quæ de solstitiali Macedonum Periodo disputantur à Scaligero.

OMNES Græciæ civitates Olympicam Periodum olim esse complexas, sed alium contextum, & initium usurpasse, quòd nonnullæ ab aliis, quàm æstivis mensibus, aliæ ab alio anno, quàm primo Tetraëteridis inchoarent, commentum est Scaligeri gratis, & citra veterum testimonia confictum. Ostensum est autem sæpiùs, nullam ante Calippum, hoc est quadringentesimum quadragesimum quintum ab initio primæ Olympiadis annum, ejusmodi periodum extitisse, quæ LXXVI. annis constaret; nec aliam quàm lunarem anni formam apud Athenienses, ac plerasque Græciæ civitates fuisse. Certè popularem illam, & æquabilem anni formam, quæ tricenarios menses continet, nullam in rerum natura fuisse evidentibus argumentis adstruximus.

Qua in re Plutarchi auctoritate frustra se defendit Scaliger ex Aristidis vita, in qua scribit: τὴν δὲ τῶν ἡμερῶν ἀνωμαλίαν οὐ θαυμαστέον, ὅπου καὶ νῦν διηκριβωμένων τῶν ἐν ἀστρολογίᾳ μᾶλλον, ἄλλοι ἄλλην μηνὸς ἀρχὴν καὶ τελευτὴν ἄγουσιν. *Dierum autem inæqualitas nemini mira videri debet: quando etiam hodie, cùm res astrologicæ magis exploratæ sunt, alii aliud initium mensis, aliúmque finem statuunt.* Ibi Plutarchus de diversis Tetraëteridum initiis, aut anni cardinibus sermonem non instituit, sed de variis lunaris mensis diebus, à quibus suorum quæque civitates mensium initia repeterent. Hic enim contextus orationis est: Cùm Persarum cladem, ac Mardonii cædem Boëdromionis quarto κατ' Ἀθηναίους contigisse dixisset; secundùm Bœotos verò Πανέμου τετράδι φθίνοντος, ne quis illam dierum varietatem fortè miraretur, verba illa subjecit: etiam hoc ipso, quo scribebat, tempore, tametsi Astronomicæ res multò illustratæ magis essent, nihilominus diversa mensium initia, finésque retineri. Quæ nemo non videt eò spectare solùm, quòd menses alii ab aliis diebus inciperent: sive id de industria contingeret; ut qui à corniculata Luna, vel à plenilunio mensem auspicabantur; sive lunarium ψηφισμῶν labe, ac vitio, quòd iniquiora Lunæ spatia definissent: quemadmodum ante Gregorianam anni reformationem, Neomeniæ Paschales quatriduo toto Novilunia morabantur. Quare nullum illis in verbis apparet ejus vestigium, quod sibi proposuit Scaliger, ut aliæ civitates ab aliis Olympicæ Tetraëteridos annis privatas Tetraëterides exorsæ sint.

Sequitur Josephi locus, & Hyrcani exemplum illud: in quo per illud mirum est, mollis inertia cur tantam diffuderit imis oblivionem sensibus. Etenim, quod superiori capite declaravimus, annus primus Hyrcani non Olympiadis centesimæ septuagesimæ septimæ anno primo, sed tertio competit: Nonus autem, Iphiti DCCXV, non DCCXIV. Deinde ex Scaligeriana ratione consequens est, annum nonum Hyrcani Iphiti anno DCCXIII. respondere, qui est primus Tetraëteridis. Præterea licèt Scaligero cetera constarent, nihil tamen de Periodo Macedonica, veteribus usitata posset effici; sed de ea solùm, quæ post Calippicam formam editam à Macedonibus usurpata videretur. quæ omnia suprà pluribus explicavimus.

Menses porrò Metonicos à Philippo Rege in Periodum Macedonicam admissos esse, divinat, non demonstrat Scaliger: uti neque cetera capitis ejusdem de solstitiali, & verna Macedonum Periodo. Ficta itaque tota res est de instituta Periodo à diebus verni sideris, atque à Dæsio mense cœpta: Item quod addit Philippi tempore Philippeam Periodum institutam, cujus initium in annum Periodi Jul. 4390. rejectum sit, ut Macedonicæ Tetraëteridis annus primus cum Olympicæ primo consentiret. Quæ falsis innixa fundamentis, & sine teste prolata tamquam otiosa commenta repudianda sunt. De Philippeis annis, hoc est epocha, non Periodo, libro IX. disputabitur. Sanè Periodum ullam à Macedonibus receptam, maximè Tetraëtericam, non probat, multóque minùs ejus initium, ut cum Olympica Tetraëteride consentiret, in annum illum rejectum: cùm id, cujus causâ istud excogitatum est, refutatum hactenus fuerit, nimirum Macedonicæ Tetraëteridis annum primum in Olympicæ primum incidisse. De Macedonicis mensibus, eorumque serie, paullò pòst agetur.

CAPUT XXVIII.

Altera Macedonum Periodus evertitur, quam Autumnalem appellat Scaliger.

NEQUE Macedones ulla periodo Calippica ante III.
Calippum uti potuerunt, neque utrum post Calippum, præsertim usu populari, ullam amplexi sint, aliunde, quàm ex levissimis conjecturis, eruitur. Sed neque Syromacedones talem aliquam periodum agnoverunt, sed temporum dumtaxat suorum epocham illo anno defixerunt, qui est post Alexandri necem duodecimus. Ad hæc commentitium est, Tetraëtericam illam à Calippo Periodum excogitatam, aut in annum XIX. vertentem ejus initium esse prolatum. Calippica periodus præter lunarem alia non fuit; lunaris autem anno Periodi Julianæ 4384. cœpit, ut lib. II. dicetur. Est etiam illud confictum, Calippum Olympicam retexuisse Periodum, & in priscam epocham Tetraëtericas Neomenias redegisse, quæ nullæ umquam extiterunt. Reliqua ex anni Græci, Atticíque contextu pendent, qui suprà refutatus est.

Neque verò à Pyanepsione Periodum suam auspicatus est Calippus, sed à Mæmacterione: si modò ab Autumno cœperit. de quo libro secundo. Nam Mæmacterion Pyanepsione prior est, ut suprà docuimus. Falsum est insuper Calippum Periodum ullam Alexandream vocasse. quod commentus est Scaliger. Neque enim probare potest ulli Periodo Alexandreæ nomen impositum. Licèt enim annorum epocha post Alexandri mortem inierit, ab eóque nomen acceperit, ut Alexandri æra diceretur, nequaquam tamen per Periodos Calippicas deducta sunt tempora Syromacedonum, aut Græcorum; sed annorum dumtaxat series titulo ejusmodi notata fuit: quemadmodum Christiani annos suos à Christi nativitate numerant. Sed de Periodis istis, & initio Calippicæ in secundo libro proprius erit dicendi locus.

Quàm porrò cetera, quæ subjiciuntur, frivola sint, ex superioribus liquet. Tetraëteridis Macedonicæ cum Olympica consensus sine ullo judicio, ac ratione constituitur. Calippus autem de falsa illa Periodi dilatione, ac novo principio numquam cogitavit. Denique ludicra est Scaligeri ratiocinatio, cùm ita disputat: Hyperberetæum à diebus æstivis ad Autumnales esse translatum; quoniam Antiochus magnus triennalem immunitatem ad usque mensem Hyperberetæum indulsit. Nihil enim argumentum istud præter ludibrium colligit. Nam si quis hodie Augusto mense tributum in tres annos ad initium Septembris anni quarti remittat, statímne verum est primum anni mensem esse Septembrem? Tum verò desultoria est hominis inconstantia, cùm Sabinorum more quod vult somniat, atque ex antiquorum testimoniis elicit. Etenim suprà Atheniensium psephisma, quod in gratiam Hyrcani scriptum est, quia Panemus cum Munychione committebatur, ad veteris Macedonicæ Periodi contextum retulit; quamvis diù post illud tempus esset emissum, quo Macedonica illa vetus Periodus, ac Tetraëteris immutata fuerat, & ab Atheniensibus hujus alia, ac diversa constituta ratio. At hoc loco, cùm perinde post mutatam Tetraëteridis formam decretum illud Antiochi sit editum, non veterem ex eo mensium ordinem, sed novam, & post Calippum invectam dispositionem argumentatione sua deduxit. Quis tantum Scaligero permisit, ut alterum decretum de antiqua Macedonum Periodo, de recentiore alterum interpretaretur? Quamobrem negamus omnino trajectum esse à diebus æstivis Hyperberetæum, aut alteri, præterquam Autumnali mensi respondisse, vel etiam hiberno: in æstivum verò tempus numquam incidisse credimus.

In editione prima Periodum Macedonicam, itidem ut in secunda, Scaliger eamdem prorsus esse cum Olympica definit. Sed argumentatione planè atque illic diversa eodem ex Josephi loco, atque Hyrcani Pontificis anno nono colligit. Siquidem, ex eo, quòd anno illo, qui in Iphiti DCCXV, & Olympiadis CLXXIX. tertium incidit. Πανέμου πέμπτῃ ἀπιόντος, id est XXVI. die,

Munychion lunaris incipit, ſequitur Neomeniam lunarem XVII. Panemi Tetraëterici congruere. Hoc autem nonniſi anno tertio Tetraëteridis, menſe primo contingere ex laterculo Græcæ Tetraëteridos conſtat; quod ex Scaligero ſuprà deſcripſimus. Qua e Tetraëteris Macedonica fuit eadem cum Olympica; & primus menſis in ea Panemus: adeóque Δαίσιος intercalaris fuit.

Hæc ille priori in editione: in quibus paullò id quàm in poſteriore tolerabilius eſt, quod annum nonum Hyrcani cum Iphiti DCCXV, non cum DCCXIV. comparat. Sed iiſdem nihilominus paralogiſmis, & ridiculis collectionibus adſperſa ſunt. Primum laterculum neomeniarum Græcarum à Scaligero contra methodum ordinatum eſt, ut ſuprà demonſtravimus. Nam anno tertio Tetraëteridos, primus menſis Xerxis, ac Perſarum temporibus, ad quæ Neomenias accommodari putat, Novilunium habuit XV. die menſis. Ergo ſub Hyrcani tempus, poſt annos ferè quadringentos, Novilunium XIV. die menſis incurrit, non XVII. Ac ne laterculo quidem Scaligeriano conſonat exemplum. In quo XVI. die menſis popularis Novilunium committitur. Proinde Hyrcani ſæculo XV. non XVII. Munychionis Neomenia congruebat. Sed in nugis excutiendis otio non abutar. Nunc de Macedonicis menſibus paullò exactiùs diſquirendum.

CAPUT XXIX.

De Macedonicis Menſibus, eorúmque ſerie.

ANTEQUAM certi aliquid definiatur, quædam expromenda ſunt veterum loca, quæ pugnare ſecum, & rem omnem obſcurare videntur. In epiſtola Philippi Macedonum regis ad ſocios ſcripta, quam recitat in oratione de corona Demoſthenes, Λῶος Atheniensium Boëdromioni, Corinthiorum Panemo reſpondet: Ἔξιτε συναντῶντες, inquit, μετὰ τῶν ὅπλων εἰς τὴν Φωκίδα, ἔχοντες ἐπισιτισμὸν ἡμερῶν τετταράκοντα, τοῦ ἐνεστῶτος μηνὸς Λώου, ὡς ἡμεῖς ἄγομεν, ὡς δ' Ἀθηναῖοι, Βοηδρομιῶνος, ὡς δὲ Κορίνθιοι, Πανέμου. Plutarchus autem in Alexandro ſcribit natum illum Ἑκατομβαιῶνος ἱσταμένου, ὃν Μακεδόνες Λῶον καλοῦσι. Cui & Galenus adſtipulatur. Cujus eſt inſignis locus in Comment. in lib. I. Epide. initio, quem meritò hîc exſcribemus: οἷον εἰ οὕτως ἔτυχεν, ἐὰν προμάθῃ τὸ, κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ Δίου μηνὸς φθινοπώρου γίνεσθαι ἰσημερίαν, εἴσεται τὴν μὲν χειμερινὴν τροπὴν, ὡς μετὰ τρεῖς μῆνας ἐσομένην ἐν ἀρχῇ τοῦ κατ' αὐτοὺς Περιτίου μηνός. τοῦτο γὰρ σημαίνει κατὰ Μακεδόνας. τὴν δ' ἐαρινὴν ἰσημερίαν Ἀρτεμισίου· καθάπερ γε, καὶ τὴν θερινὴν Λώου. κατὰ γὰρ τὰς ἀρχὰς τῶν εἰρημένων μηνῶν αἵ τ' ἰσημερίαι, καὶ αἱ τροπαὶ γίνονται κατὰ Μακεδόνας. *Ut, exempli gratiâ, ſi didicerit circa initium Dii menſis Autumno committi Æquinoctium, ſciet hibernum ſolſtitium futurum poſt tres menſes, ineunte illorum Peritio. Hoc enim ipſum apud Macedones ſignificat: Æquinoctium autem vernum Artemiſio, quemadmodum & æſtivum Solſtitium Loo. Nam ſub initia menſium iſtorum Æquinoctia, & Solſtitia ſecundùm Macedones contingunt.* At verò ex Evagrio, Epiphanio, Suida, aliiſque, præſertim Chriſtianis Scriptoribus, colligas Xanthicum Aprilem eſſe, Loum Auguſtum, Gorpiæum Septembrem. Apud Plutarchum in fine vitæ Arati, Dæſius Antheſterioni reſpondet; quod eſt valdè mirum; ut & illud apud Joſephum loco ſuprà citato, in quo Panemus cum Munychione comparatur.

In tanto auctorum conflictu difficile eſt ſtatuere quid potiſſimum ſequare. Sed illud nihilominus ita diſtinguendum videtur, Macedonicos menſes apud antiquos duplici in diſcrimine verſari. Etenim alii ſunt lunares, qui in anno Juliano ſurſum, ac deorſum promoventur. Alii ſtabiles, ac fixi. Priores antiquiſſimi ſunt: alteri recentiores, & à Chriſtianis uſurpati præcipuè. Quamobrem lunarium apud Macedones menſium hæc ſeries exſtitit.

Menſes Judaïci.	*Menſes Macedonici.*	*Menſes Attici.*
Niſan.	Xanthicus.	Ἐλαφηβολιών.
Iiar.	Artemiſius.	Μουνυχιών.
Siwan.	Dæſius.	Θαργηλιών.
Thamuz.	Panemus.	Σκιῤῥοφοριών.
Ab.	Lous.	Ἑκατομβαιών.
Elul.	Gorpiæus.	Μεταγειτνιών.
Tiſri.	Hyperberetæus.	Βοηδρομιών.
Marcheſwan	Dius.	Μαιμακτηριών.
Chaſleu.	Apellæus.	Πυανεψιών.
Tebeth.	Audynæus.	Ποσειδεών.
Schebath.	Peritius.	Γαμηλιών.
Adar.	Dyſtrus.	Ἀνθεστηριών.

Hanc ipſam Macedonicorum menſium ſeriem approbat imprimis Galenus eo loco, quem proximè citavimus: dum ſcribit ineuntibus Artemiſio, Loo, Dio, Peritio, quatuor anni cardines committi. * Hoc enim ſic interpretamur, ut ſæpè paullò poſt æquinoctia, Solſtitiáque iſti menſes ineant. quemadmodum Ἑκατομβαιὼν ἀπὸ τροπῆς θερινῆς ab Ariſtotele, & Theophraſto ponitur. Sic omninò quatuor illi Macedonici menſes πλατικῶς inire dicuntur ab Æquinoctialibus, Solſtitialibúſque cardinibus, quòd eos ut plurimùm ſubſequuntur. Plutarchus inſuper Λῶον diſertè cum Attico Hecatombæone copulat. Quòd autem Macedonici menſes cum Judaïcis rectè compoſiti ſint, ex Joſepho cognoſces; qui ſæpenumerò Xanthicum menſem eumdem eſſe cum Niſan docet: velut Orig. lib. I. cap. III, & lib. II. cap. VI, & lib. III. cap. IX. & X. tum lib. XI. cap. IV. Idem porrò lib. VIII. cap. II. menſem II. qui eſt Iiar, cum Artemiſio Macedonum comparat. At libro VIII. cap. III. Hyperberetæum cum Tiſri; Dium cum Marcheſwan, lib. I. cap. III. Chaſleu cum Apellæo, lib. XII. cap. VII. & X. Quamquam lib. XI. cap. V. Tebeth nonum menſem, & Apellæum Macedonicum eſſe ſcribit; & cap. IV. Adar undecimum appellat, & cum Dyſtro confert. Verùm mendoſa hæc eſſe duo loca Joſephus ipſemet aliis in locis oſtendit. Itaque in priori, pro Tebeth Chaſleu, in poſteriori pro ἑνδέκατον, δωδέκατον legendum. Eſt enim tam Adar apud Judæos à Niſan, quàm apud Macedones Dyſtrus à Xanthico duodecimus. Nam & Joſephus idem in calce libri quarti Adar apud Macedonas ait eſſe Dyſtrum. Conjecturam noſtram Ruffinus Interpres affirmat. Hic enim cap. V. non Tebeth, ſed Kiſleu poſuit; & in cap. IV. quidam Ruffini codices habent *duodecimum*, non *undecimum* menſem. Quare cùm de Judaïcorum ſitu menſium nemini poſſit eſſe dubium, & Attici à nobis ſuprà ſuis locis attributi ſint, quænam apud Macedonas menſium diſpoſitio fuerit, ex amborum comparatione colligitur. Accedunt & Aſtronomica quædam exempla in Chaldaïca Periodo apud Ptolemæum, ut libro II. dicetur: in quibus Apellæi Neomenia Novembris XIII. congruit: Dius autem Octobris XI; Xanthicus Februarii XXV. iniit. quæ quidem cum laterculo conveniunt. Addatur & Epiphanius noſter; qui hæreſi LI. Macedonici Apellæi diem XVI. Novembris V. tribuit. Igitur Neomenia cœpit Octobris ferè XXII. Idem verò libro primo Gorpiæum apud Macedones ait Auguſto reſpondere. Præter Macedonicos iſtos, Græcorum alii vulgò menſes appellantur, qui apud Chriſtianos præſertim fixi, & iidem ferè cum Julianis habentur, quorum hîc diagramma ſubjiciam. †

Pag. 319. Pag. 316.

* *Hæc uſque ad* ſubſequuntur *deleverat in ſuo exemplari D. Petavius & eorum loco ſcripſerat:* Quamquam Galeni tempore Macedones ſolaribus uſi ſunt annis, ut & Aſiani Pergameni. Sed profectò alius fuit ordo menſium fixorum, Galeni tempore, alius ſub Chriſtianis; nam Galenus ait ineunte Artemiſio vernum æquinoctium incidiſſe; quod Xanthico magis congruit in anno fixo. *D. Petavius.*

† In Commentario Oecumenii in Ep. ad Romanos p. 241. in Martyrio Pauli dicitur paſſus eſſe anno XXXVI. paſſionis Dominicæ τῇ πέμπτῃ ἡμέρᾳ Πανέμου μηνὸς τῇ πρὸ τριῶν Καλανδῶν Ἰουλίων, nempe, XXIX. Junii. Ergo Panemus cœpit XXV. Junii, anno LXIX. Chriſti. *D. Petavius.*

Menſes

Menſes Græcorum.	*Menſes Romani.*
Αὐδυναῖος.	Januarius.
Περίτιος.	Februarius.
Δύστρος.	Martius.
Ξανθικός.	Aprilis.
Ἀρτεμίσιος.	Maius.
Δαίσιος.	Junius.
Πάνεμος.	Julius.
Λῶος.	Auguſtus.
Γορπιαῖος.	September.
Ὑπερβερεταῖος.	October.
Δῖος.	November.
Ἀπελλαῖος.	December.

Hos menſes Σύρων, ſive Ἑλλήνων Epiphanius appellat, qui ſunt Syromacedones. Idémque τὸν Αὐδυναῖον cum Januario confert, Dium cum Novembri, Hæreſi LI. At libro I. Apellæum eſſe dicit Auguſtum, & Tiſri: in quo hallucinatum, aut Epiphanium, aut librarium eſſe ſuſpicor. At Julianus Miſopogone Λῶον vocat δέκατον μῆνα τῶν Ἀντιοχέων. Eamdem menſium ſeriem confirmat Suidas paſſim in menſium nominibus. Evagrius inſuper lib. IV. cap. IX. Hiſt. Eccleſ. Xanthicum vocat Aprilem, & cap. V. Artemiſium Maium. Ceteros vide apud eumdem lib. IV. cap. IX, & cap. IV. in decreto Canonum diſt. XXVII. ſecundum Concilium Eid. Oct. celebratur: qui dies apud Græcos Hyperberetæus menſis decimus vocatur. Quinetiam in Concilii Nicæni, & aliorum inſcriptionibus; in Chron. Alex. & alibi paſſim idem ordo conſtantiſſimè retinetur. Unde conſtat Macedonicos menſes veteres unius menſis ſpatio Græcos antevertere: uti Xanthicus Macedonicus Martio ferè, Syromacedonicus Aprili reſpondeat. Sed priores, ut opinor, lunares erant; poſteriores Juliani ſunt. Joſephus quoties Macedonicorum menſium meminit, de prioribus accipiendus eſt: etſi Scaliger, & alii ſentiunt Joſephum in libris ἁλώσεως Julianos, ac poſterioris generis menſes intelligere. Nam in libris Originum perſpicuè de prioribus accipiendus eſt. De quo in Alexandrea Periodo agetur lib. II. Suidas denique Macedonicorum menſium appellatione poſteriores complectitur, qui & Græcorum vulgò nominari ſolent: quemadmodum in Vet. Lex. Stephani, quod in Appendice Theſauri citat. Quo in loco menſium κατὰ Τυρίους ordo vetere ex Calendario manuſcripto deſcribitur, iiſdem quibus Græcorum menſes appellationibus, ſed initio diverſo: quorum hîc diagramma ſubjiciam.

Menſium apud Tyrios nomina.	*Dies menſium.*	*Quibus diebus ineant.*	
Αὐδυναῖος.	XXX	Januarii	XV
Περίτιος.	XXX	Februarii	XIV
Δύστρος.	XXX	Martii	XVIII
Ξανθικός.	XXXI	Aprilis	XVI
Ἀρτεμίσιος.	XXXI	Maii	XVIII
Δέσιος.	XXXI	Junii	XXII
Πάνεμος.	XXXI	Julii	XXI
Λῶος.	XXX	Auguſti	XVIII
Γορπιαῖος.	XXX	Septembris	XIX
Ὑπερβερεταῖος.	XXX	Octobris	XIX
Δῖος.	XXX	Novembris	XVIII
Ἀπελλαῖος.	XXX	Decembris	XVIII

Poſtremò iſta ſubjiciuntur: Ὁ μὲν σελήνης ἡμέραι ϛʹ ἐπακταί.

Sed mendoſiſſima menſium eſt illa deſcriptio: neque ſibi conſtat. Peritius enim exempli cauſſâ biduo ampliùs habet, quàm adſcriptus dierum numerus exigat. Huic enim XXX. dies imputantur. atqui à Februarii XIV. ad Martii XVII, dies ſunt XXXII. Item Dyſtrus XXIX. tantummodò dies obtinet: Xanthicus XXXII: Artemiſius XXXV: Deſius XXIX: Panemus XXXIII: Lous XXXII: Apellæus item XXVIII. Præterea dies ex menſium numeris nonniſi CCCLXIV. componuntur. Itaque numeri vitio non carent. Lunares præterea, quas in fine colligit, epactas non aſſequor. Menſium quidem nomina ipſa ſunt eadem ac Syromacedonum, ſive Græcorum, in quibus & Tyrii cenſebantur. Sed ſi ab illis circiter diebus, qui in laterculo notantur, ſinguli menſes inierint; plurimùm in ſitu ipſo diſcrepant. Nam Syromacedonum menſes fixi à Julianorum Kalendis ordiebantur. Quod inter alios docet Epiphanius, qui in Alogorum Hæreſi, N. XXIV, Januarii VI. confert cum Audynæi VI, Novembris VIII. cum VIII. Dii. Idem porrò Macedonici Apellæi XVI. comparat cum Novembris VIII; ut ea ratione à XXIV. die Octobris inceperit. Ceterùm probabile eſt Tyrios, alióſque populos, qui Julianum annum amplexi menſes ſuos ab inchoatis jam Romanis menſibus inierunt, eo die caput anni ſui fixiſſe, in quem Neomenia lunaris primi menſis incurrebat eo anno, quo ejuratâ priſtina forma, Julianam admiſerunt: ac deinceps menſes ceteros; triginta, vel triginta unius intervallo dierum interpoſito, continuò propagaſſe, quemadmodum Ægyptios inſtituiſſe ſcimus.

CAPUT XXX.

Expenduntur loca quædam, quibus abutitur Scaliger.

QUAM abſurdè Joſephi teſtimonium illud tractatum ſit à Scaligero, quo Athenienſium pſephiſma continetur, ſuprà evidenter oſtendimus. Nam nullum in eo præſidium ad commenti ſui probationem habere poteſt: cùm neque quo Hyrcani anno ſcriptum ſit, Joſephus expoſuerit; neque de Macedonica vetere, an nova menſium ordinatione loquatur, ſatis intelligi poſſit. Nunc illud idem exactiùs hoc loco diſcutiendum eſt, quò ampliùs Scaligeri ἀπροσεξία, doctrinæque falſitas appareat.

Joſephus ergo poſtquam Senatuſconſultum in Hyrcani gratiam editum propoſuiſſet, quod ita concluſit. ταῦτα ἐγένετο ἐπὶ Ὑρκανοῦ ἀρχιερέως, καὶ ἐθνάρχου, ἔτους ἐνάτου, μηνὸς, Πανέμου: narrat ab Athenienſibus in ejuſdem Hyrcani favorem aliud decretum editum. ἔπεμψάν τε ψήφισμα γράψαντες αὐτῷ τοῦτον τὸν τρόπον. Ἐπὶ πρυτάνεως, καὶ ἱερέως Διονυσίου τοῦ Ἀσκληπιάδου, μηνὸς πανέμου πέμπτῃ ἀπιόντος, ἐπεδόθη τοῖς στρατηγοῖς ψήφισμα Ἀθηναίων ἐπὶ Ἀγαθοκλέους ἄρχοντος. Εὐκλῆς Μενάνδρου Ἀλιμούσιος ἐγραμμάτευε. Μουνυχιῶνος ἑνδεκάτῃ τῆς πρυτανείας, ἐκκλησίας γενομένης ἐν τῷ θεάτρῳ τῶν προέδρων. ἐπεψήφισε Δωρόθεος ἀρχιερεὺς, καὶ οἱ συμπρόεδροι τῷ δήμῳ. Διονύσιος Διονυσίου εἶπεν. Quæ quidem Ruffinus lib. XIV. cap. XXII. ita concipit. *Sub Judice vel Sacerdote Dionyſio filio Aſclepiadis, menſe Panemo, viceſimo quinto die, datum eſt magiſtratibus decretum Athenienſium ſub Præſide Agathocle: de quo Deucles Menandri Alimuſius Scriba expoſuit, Munychionis undecimo die; concilio Judicum facto in Theatro: ſuffragium tulit Dorotheus princeps Sacerdotum.* Ex hoc loco argumentatur Scaliger; cùm Panemi XXV. cum Munychionis XI. concurrat, Novilunium XVI. Panemi competere; ideóque annum eſſe Tetraëteridis ſecundum. Verùm in Græcis verbis duæ ſunt partes. Nam priora illa ἐπὶ πρυτάνεως, &c. uſque ad ἐγραμμάτευε, non pſephiſmatis verba ſunt, ſed ejus appendix. Primùm enim pſephiſma conditum eſt in publica concione Munychione menſe. Deinde tertio poſtea menſe, qui Athenienſibus eſt Scirrhophorion, Syromacedonibus Panemus, cùm Legati Judæorum adeſſent, depromptum eſt à Scriba, & illis traditum, adeóque in acta relatum, ſive ab Athenienſibus, ſive à Judæis ipſis, quo die pſephiſma natum eſſet. Idcircò Athenienſes menſe ſuo, id eſt Munychione, tempus illud notarunt: Judæi verò Græco, ac Macedonico. Nam Græcis iſtis appellationibus, quando cum exteris, ac præſertim Græcis, res erat, utebantur. Menſem autem Panemum, ac diem adſcripſerunt, non quo pſephiſma in concione natum; ſed quo ſibi à Strategis, miniſtrante Scri-

Joſeph. lib. XIV. cap. XVI.

te Scriba, traditum in manus fuerat. Etenim psephismatum solemnis illa formula apud Athenienses exstitit, ut ex Demosthene constat in illa de Corona: ἐπὶ ἄρχοντος Ἡροπύθου, μηνὸς Ἐλαφηβολιῶνος ἕκτῃ φθίνοντος, φυλῆς πρυτανευούσης Ἐρεχθηΐδος, βουλῆς, καὶ στρατηγῶν γνώμη. Alias πολεμάρχου γνώμη. Alias, Δημοσθένης Δημοσθένους Παιανιεὺς εἶπε. Quocirca cùm per στρατηγοὺς non modò bella, sed etiam societatum, negotiorúmque, quæ cum exteris transigebantur, jura, ut opinor, administrarentur, credibile est per eosdem στρατηγοὺς plebiscitum illud ex ærario depromptum, ac legatis Hyrcani esse concessum, præsente Dionysio Asclepiadis F, uno ex Prytanibus. Neque enim decretorum tempus Prytanis nomine, sed Archontis dumtaxat notari solebat. Perinde ut apud Romanos perscribendis Senatusconsultis aderat Senatorum aliquis, idque ad SC. adscribebatur: *Affuere scribendo N. N.* Ita cùm plebiscitum legatis Hyrcani datum est, affuisse Dionysius ille dicitur. Jam illa, Μουνυχιῶνος ἐνδεκάτῃ τῆς Πρυτανείας non sic interpretanda sunt, ut alius sit Munychion πρυτανείας lunaris, alius æquabilis. Hoc enim sæpè refutatum est. Sed fortasse cum voce πρυτανείας altera copulanda est, videlicet ἐνδεκάτῃ. Nam Prytaniæ decem erant singulæ dierum XXXV. quas ita distinguere consueverunt; ἐπὶ τῆς πρώτης πρυτανείας τῇ ἐνδεκάτῃ: ut loquitur Demosthenes Orat. con. Timocratem. Ita apud Harpocrationem in voce Ἀδικίου, ἐνάτῃ Πρυτανείᾳ dicitur. Quare in illo Atheniensium psephismate, Prytaniæ cujusdam undecimo die concio habita, in qua plebiscitum perlatum. Ad hæc Μουνυχιῶνος absolutè, sine certæ diei conceptione à Josepho ex Archivis exscriptum: nisi librarii culpâ diei numerus exciderit, sive Munychionis, sive τῆς Πρυτανείας. Nam & ἐνδεκάτῃ ad Πρυτανείας referri potest, quod & Ruffinus sequitur, & tum prytaniæ tempus erit omissum. Quid si rescribamus Μουνυχιῶνος ἕνῃ, καὶ νέᾳ, δεκάτῃ τῆς πρυτανείας, aut aliquid hujusmodi? Ceterùm Dorotheus, qui ἀρχιερεὺς vocatur, ἐπιστάτης fuisse videtur, qui προέδροις præerat. De quo Sigonius lib. II. de Rep. Athen. cap. III. Cujus erat ἐπιψηφίσαι, hoc est populo suffragium dare, ut idem Sigonius exponit cap. IV. Nam πρόεδροι, & imprimis ἐπιστάτης eam concionem coegerant. Ideò ἐκκλησία τῶν προέδρων dicitur.

Superest Demosthenis locus ex epistola Philippi; ubi Λῷος Boëdromioni respondet. qui nisi corruptus est; ut pro Loo, vel pro Boëdromione, mensis alius subrogandus sit, afferendum est alterutrius Cycli lunaris, ac popularis anni vitio contigisse, ut sedibus suis emoti menses alienas in stationes invaderent. Nisi fortè sibi quispiam ita persuadeat, à temporibus Philippi, Macedonicorum mensium ordinem esse mutatum. Quod tum demum affirmare licebit, cùm ad hunc Demosthenis locum aliorum consensus scriptorum accesserit. Nam quòd Lous cum Hecatombæone componendus sit, ceterique eo, quem exposuimus, ordine consequantur, cuivis ex superioribus apparet. Julianus in Misopogone adversus Antiochenses decimum mensem appellat Λῷον, his verbis, Δεκάτῳ γάρ που μηνὶ τῶν παρ' ὑμῖν ἀριθμουμένων Λῷον, οἶμαι, τοῦτον ὑμεῖς προσαγορεύετε. *Decimo fere mense (ut vos numeratis) is à vobis Lous, opinor, dicitur.* Sed ἑνδεκάτῳ, ut puto, pro δέκατος rescribendum. Nam XI. fuit ab Hyperberetæo, unde mensium apud Antiochenos exordium.

Denique nec illud prætermittendum videtur, plerasque Græciæ civitates iisdem mensium appellationibus usas fuisse, sed non eorumdem mensium. Exempli causâ Panemus communis erat Corinthiis, & Macedonibus. Sed Corinthiacus Panemus cum Boëdromione Attico in illa Philippi epistola comparatur. Panemus autem Macedonicus alium situm habuit. Item Lacedæmonii Artemisium mensem usurparunt; qui apud Thucydidem lib. V, cùm de pace inita Lacedæmonios inter, & Athenienses agit, cum Elaphebolione committitur. At Macedonicus Panemus sequenti respondebat, nempe Munychioni. Sic apud Plutarchum in calce vitæ Arati, sacrificium Arato fiebat Dæsio mense; quem, inquit, Athenienses Anthesterionem nominant. Non potest Macedonicus ille mensis esse, cùm apud Macedonas Dæsius Thargelioni respondeat: sed Sicyonius erit: aut certè Plutarchi, vel librarii hallucinatio in illo loco versatur. Apud eumdem Plutarchum in Camillo, Panemus Bœotius est Μεταγειτνιών. In vita autem Aristidis τῇ τετράδι τοῦ Βοηδρομιῶνος ἱσταμένου, respondet apud Bœotos τετράς Πανέμου φθίνοντος. De quo loco nonnulla jam scripsimus. Nimirum Græciæ quædam civitates à VII. Luna, aut etiam Plenilunio mensem inchoabant; ut Lacedæmonii à jugo. quod ex ejusdem Plutarchi testimonio suprà declaravimus. Galenus lib. IV. de Sanitate tuenda, apud Pergamenos Ὑπερβερεταῖον cum Septembri Romano, qui mensis Athenis Μυστήρια vocatur, comparari scribit. Cetera studiosus lector per sese colliget.

CAPUT XXXI.

De Bithynica Periodo refutantur quæ falsò à Scaligero conficta sunt.

NULLUS deinceps comminiscendarum Periodorum, ac divinandi modus est. Omnes omninò civitates, quarum anni, mensísve tenuissima aliqua mentio exstat alicubi, suam Periodum obtinent apud Scaligerum. Quasi verò necesse sit, aut ulla ratione constet, populos omnes, præsertim Asiaticos, ut Bithynos, eamdem illam anni formam observasse, quam Græcis affingit. Verumtamen quid de Bithynica Periodo senserit, videamus.

Bithynicæ Periodi eam cum Olympica comparationem statuit, ut hæc illam biennio superarit: adeo ut tricesimus secundus annus Olympicæ sit tricesimus Bithynicæ, & ad methodum de Olympica detrahenda sint duo. Hoc autem ejusmodi ferè argumentatione deducitur. Ptolemæus lib. VII. refert anno Nabon. 840, Tybi 2 absoluto, Agrippam in Bithynia observasse Lunam cum australi succedente parte Vergiliarum, anno Domitiani XII, Metroi secundum Bithynos VII. Tempus congruit Novembris XXIV, anno Christi XCII. Igitur Neomenia Μητρῴου cadebat in XXIII. Novemb. ac proinde mensis æstivus in Julii XXVI. Erat annus Iphiti 868. & Periodi duodecimæ Olympicæ tricesimus secundus. In Periodo autem Olympica mensis æstivus ter Julii XXVI. competit; nempe XIII, XXX, & XLVII. Sed cùm propositus annus esset quartus Olympiadis, annum quoque Bithynicum aut quartum fuisse oportet Tetraëteridis Bithynicæ, aut secundum; quod aliter anni Olympici non usurpentur in aliis Periodis. Sed nullus quartus Olympiadicæ Tetraëteridis habet initium XXVI. Julii. Erit igitur annus XXXII. Olympicæ Periodi, tricesimus Bithynicæ. Hæc Scaliger. In quibus prima omnium, & maximè insignis est inconstantia; quod ita de Bithynica Periodo ratiocinatur: eam hujus ad Olympicam esse comparationem, ut biennio solùm discrepet, ac duo sint ad methodum de Olympica deducenda. Quod superiori illius anni doctrinæ valdè contrarium est. Etenim suprà definierat; Periodos omnes inter se collatas cyclo uno, vel duobus, tribúsve discrepare: ac si annus unius Tetraëteridis primus sit alterius secundus, trium cyclorum esse discrimen; ita ut annus LVIII. unius Periodi sit primus alterius. Sin Tetraëteridis annus primus sit alterius tertius; duobus differre cyclis, & Periodi unius annum XXXIX. esse alterius primum: quod in Attica evenire docuit. Quæ quidem si verè constituta sunt, cùm annus quartus Tetraëteridos Olympicæ sit Bithynicæ secundus; adeóque primus annus Bithynicæ sit Olympicæ tertius, consequens est Bithynicam Periodum eamdem ad Olympicam habere rationem, quam Atticæ tribuerat; proindéque duobus à se invicem cyclis differre: sic ut anno Periodi Olympicæ XXXIV. Bithynica Periodus incipiat, & ad methodum XXXVIII. de Olympica detrahantur. Quocirca perabsurdum est annos tantùm duos de Olympica Periodo ad Bithynicæ methodum detrahi, ut XXXII. annus Olympicæ, sit Bithynicæ XXX. Nam cycli, non anni, ex superiore doctrina deducendi fuerant.

Ptolemæus verò nullam in illo loco periodi ullius mentionem facit. Metrous insuper mensis minimè fuit lunaris. Nam Novilunium anno isto contigit ex nostris tabulis, Novemb. XVIII, feria I, hor. 1, 25'. 32''. post med. noctem; Cyclo Solis XVII, lit. A G. Ita Metroi Neomenia contigit die Lunæ VI: cúmque Novilunium sequens incidat in Decembris XVII, Metrous Novilunium habebit in die XXV. quod in tota Tetraëteride nunquam mensi quinto competit. Unde frivola est Scaligeri methodus, qui de hoc mense Bithynorum ita sentit, quasi ejusdem cum Atticis, ac Græcis rationis exstiterit,

rit, eadémque Tetraëteridum apud illos conformatio fuerit. Quæ est autem illius argumenti consequentia? Annus hic in Olympiadicæ Tetraëteridis annum quartum cecidit: Non potest autem Tetraëteridis Olympicæ quartus annus habere Neomeniam primi mensis in XXVI. Julii. Igitur non fuit quartus Tetraëteridos Bithynicæ. fuit ergo secundus. Unde nam hoc sequitur? Quid si enim tertius? Quid si primus exstiterit? Quid est præterea, quod subjicitur; Annos Olympicos aliter non usurpari in ceteris Periodis? Nonne annus quartus Olympicæ sic usurpari in aliqua Periodo potest, ut sit primus, vel tertius, non quartus, aut secundus? Cur annus ille Bithynicæ Periodi tricesimus est potiùs, quàm duodecimus, aut quadragesimus septimus; cùm in illis omnibus Neomenia primi mensis in Julii XXVI. incurrat? Denique si XXX. Periodi sit, erit Tetraëteridos annus secundus. Novilunium autem mense quinto anni secundi Tetraëteridis, vicesimo secundo die committitur. At Metrous Novilunium habet in XXV, non in XXI. Apparet ex iis quàm incondita sint, ac temeraria, quæ de Bithynica illa Periodo traduntur. Quo ex genere censendum etiam illud est, quod affirmat; hanc Periodum in gratiam Bithyniæ regum esse conditam, cum mensibus Calippicis: quæ ex superioribus falsissima esse constat. Mensium denique Bithynorum laterculum; quod ex manuscripto quodam Græco erutum profert Stephanus, hoc loco subjecimus.

Menses Bithynici.
Ἥραιος.
Ἑρμαῖος.
Μητρῷος.
Διονύσιος.
Ἡράκλειος.
Δῖος.
Βενδιδαῖος.
Στρατεῖος.
Ἄρειος.
Περιέπιος.
Ἀφροδίσιος.
Δημήτριος.

Ex Menelai observatione colligimus Bithynorum populares annos Domitiano imperante lunares ampliùs non fuisse. Julianos autem exstitisse tum arbitror; & eorum caput in autumnali æquinoctio constitutum: quandoquidem Ἥραιος primus in serie tempus illud circiter obtinebat.

CAPUT XXXII.

De Periodo Pythica Delphorum Scaligeri doctrina P. 50.

I. PER Octaëteridas Græci sua tempora computabant: sed methodi gratiâ circuitum embolismorum orbe LXXVI. annorum peragere se dicit Scaliger. Sanè, inquit, Censorinus rectè scribit hunc circuitum à Græcis magnum annum vocari solitum; ideóque plerasque celebritates per annos VIII. deduci solitas, ut Pythia; quod verum est. Sed falsum quod ait eam Octaëteridem merè lunarem fuisse, quæ habuit τριακονθημέρους menses omnes.

Pythia igitur cum Enneaëterica forent, Tetraëterica facta sunt anno III. Olympiadis XLVIII; ut scribit Pausanias: quo anno Amphictyones fidicinæ artis præmia constituerunt, adjectis etiam tibicinæ. Sequenti Tetraëteride, qui erat annus tertius Olympiadis XLIX, ἀγὼν ille στεφανίτης est redditus, à quo prima Pythias numerari cœpta. Hinc Eusebius rectè anno III. Olymp. XLIX. primam Pythiadem attribuit. Cui adstipulatur Interpres Pindari; qui Pythionic. tertio ita scribit. καθίστατο δὲ ὁ Ἱέρων βασιλεὺς κατὰ τὴν ἑβδομηκοστὴν ἕκτην Ὀλυμπιάδα τῆς εἰκοστῆς δὲ δὲ Πυθιάδος τῇ προκειμένῃ Ὀλυμπιάδι συντρέχουσης. Si de LXXVI. deducas XXVIII. supererunt XLVIII. Igitur Olympiade XLIX. cœpit prima Pythias, adeóque anno tertio Olymp. hoc est Iphiti CXCV. Unde primus annus Pythiadis XXVIII, cùm sit annus CIX. à prima Pythiade, erit Iphiti CCCIII, sive tertius Olympiadis LXXVI. Idem porro Scholiastes εἰδ. Pythion. IV. ait Olympiadem LXXX. posteriorem esse Pythiade XXXI. Nam XXXI. Pythias celebrata est anno Iphiti CCCXV, qui erat tertius Olympiadis LXXIX. Ab annis ergo Iphiti aufer CXCIV. habebis annos Pythicos. Cœpit enim primus agon στεφανίτης Pythiorum anno Iphiti CXCV, Per. Jul. 4132. Cyclo Lunæ X. Solis XVII, sexta mensis Βυσίου, id est Attici Θαργηλιῶνος.

II. Itaque Periodus Pythica ab initio Olympiadum contexta potest eo anno incipere, à quo Attica, hoc est à tertio Iphiti; cyclo Lunæ VII. Solis XX. An verò caput illius Periodi bruma sit, an Solstitium, id nobis incompertum est.

CAPUT XXXIII.

Elenchus Scaligerianæ doctrinæ de Periodo Pythica. nec non de Isthmiis ac Nemeis obiter nonnulla.

CUM nullus annorum orbis apud vetustissimos Græcos alius quàm annorum VIII. fuerit, cur methodi gratia LXXVI. annos, sive Calippicam Periodum potiùs, quàm alteram illis attribuat, causam esse nullam in superioribus ostendimus. Injuriâ verò Censorinus, ut ibidem ostensum est, reprehenditur. Nihil enim aliud asserit, quàm quod Geminus auctor antiquissimus docuit; nempe Octaëteridem fuisse lunarem. Sed frustra Scaliger Tetraëtericam nescio quam, & æquabilem annorum formam contexuit, ut abundè probatum est hactenus.

Pausanias autem in Phocicis scribit anno tertio Olympiadis XLVIII, additum esse αὐλῳδίας ἀγώνισμα. Quod autem eodem illo anno contractum sit Pythiorum tempus, non expresse docet. Sed hoc tamen non malè ex eo colligitur, quòd ab ea secundam deinceps, & tertiam, aliásque numeret. Quod ad annum primum attinet Tetraëteridos Pythicæ, falsum est anno tertio Olympicæ congruere. Nam exeunte potiùs secundo, peracta sunt Pythia; ut ex Thucydide constat. Qui initio libri V. anno decimo Peloponnesiaci belli ineunte, τὰς ἐνιαυσίας σπονδὰς, quæ usque ad Pythia inter Lacedæmonios, & Athenienses factæ erant, desiisse scribit. At annus decimus belli cœpit vere anni Periodi Jul. 4292, cùm annus Olymp. LXXXIX. secundus laberetur. Verùm quia pauci menses ad initium anni tertii supererant, potest annus usurpari Olympiadis tertius. Qua ratione Eusebius anno tertio Olymp. XLVIII. prima Pythia celebrata dicit. Quamquam nihil est, quod novam Pythicæ Tetraëteridos, & ab Olympica diversam rationem institutam putemus. Poterant enim eâdem apud Græcos omnes lunaris Tetraëteridos formâ servatâ, diversis annis, ac mensibus sua ab unaquaque civitate sacra frequentari. Exempli gratiâ; cùm Græciâ totâ idem esset Octaëteridon, & Tetraëteridon initium, idémque primus annus; accidere potuit, ut Elidenses ejus anno primo ludos exhiberent; Pythii anno secundo; & ita reliqui: non ut annum Tetraëteridis primum à propriis populi cujusque ludis numerarent.

Jam verò Xenophon lib. VI. Ἑλλην. Jasonem Pheræum occisum refert instante Pythiorum ludicro, cùm in apparatu jam esset. Quod tempus Diodorus conjicit in annum III. Olymp. CII. Accidit igitur exeunte anno, hoc est vere anni Per. Jul. 4345. Sed quoniam Diodorus uno anno plerumque tardiùs res gestas consignat, cùm tam apertum sit Thucydidis testimonium, non dubito, quin affecto jam anno secundo Olympiadis, Pythia celebrarent. Adde quòd fortasse Diodorus, quæ paullulùm ab anni tertii principio distarent, ea tertio, non secundo, tribuerit. Ceterum Pythia non Thargelione, sed Elaphebolione peragi consuevisse demonstrari ex Thucydide potest. Hic enim initio libri V. de annuis induciis ita loquitur: τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους, αἱ μὲν ἐνιαύσιοι σπονδαὶ διελέλυντο μέχρι Πυθίων. hoc est, induciæ, quæ in spatium ad Pythia usque factæ fuerant. Atqui jam idem Scriptor lib. IV. docuerat ἅμα ἦρι ineuntis anni noni, εὐθὺς ἐκεχειρίαν ἐνιαύσιον Athenienses, & Lacedæmonios pepigisse, eásque ex a. d. XIV. Elaphebolionis inchoasse scribit pag. 331. ac jurasse ἢ μὴν ἐμμενεῖν ἐν ταῖς σπονδαῖς τὸν ἐνιαυτόν. Si igitur non ultra vertentem annum induciæ illæ tenuerint, & Elaphebolione cœperint, necesse est eodem mense desiisse, adeóque Pythia, ad quod usque tempus perducendæ erant, in Elaphebolionem incidisse.

Pag. 322. (beside: Pausanias autem in Phocicis…)

Pag. 350. Ed. Henrici Stephani. (beside: Jam verò Xenophon…)

Pag. 329. (beside: Scriptor lib. IV. docuerat…)

Præter hæc variis modis implicata, perplexáque est de Periodo Pythica Scaligeri doctrina. Hic enim à tertio Iphiti inchoari posse scribit, ut & Atticam. Quod est mirificum, & superiori de Attica Periodo disputationi prorsus contrarium. In qua palam illud & pluribus ostensum est, hanc inter se Periodorum esse comparationem, ut Cyclis integris uno, vel duobus, vel tribus à se discrepent. Ac nominatim de Attica docuit; quan-

quandoquidem annus primus Tetraëteridis hujus, tertius erat Olympicæ, duobus Cyclis, ſive annis XXXVIII. alterutram antecedere, & ad methodum de Periodo Olympica totidem eſſe detrahendos. Quid igitur in mentem illi venerit neſcio, ut Atticam hoc loco Periodum ab Iphiti, id eſt Periodi Olympicæ, tertio inchoari diceret, eamdémque Pythicæ Periodi rationem eſſe. Hoc enim neque re ipſa verum eſt, cum Pythica Periodus ante Pythicorum ludorum initium nulla fuerit; neque fingi methodi cauſa poteſt; cùm Cyclos, uti dictum eſt, duos, non annos detrahere oporteat; ſi quid eſt in ſuperiore doctrina judicii. Atque hæc imprudenti Scaligero ἀλογιστία: & contrarietas obrepſit. Cùm enim totum illud de Pythica Periodo caput ex priori editione, ſine ulla mutatione deſcripſiſſet, non animadvertit cum nova poſterioris doctrina de Periodo Attica priora illa non congruere. Ita prorſus occæcatus temerè pugnantia inter ſe miſcuit, & in idem caput inferciit. Nam prior editio commento illo caret diſcriminis Periodorum in uno, vel pluribus cyclis integris.

Ad extremum ſciendum eſt Pythia fuiſſe quinquennalia; quemadmodum Olympia. quod in argumento Pythionicarum Pindari Scholiaſtes indicat: Nemea
Pag. 563. verò Triëterica. * Horum deinde tempus convenit anno primo Tetraëteridos Olympicæ, nec non tertio. Quod ad Iſthmia ſpectat, Thucydides libro VIII. teſtatur anno XX. belli Peloponneſiaci, Periodi Jul. 4302, anno primo Olymp. XCII, Iſthmia celebrata. Xenophon verò libro IV. Ἑλλην. eo anno, quo in Argiam, & Iſthmum irruit Ageſilaus, & Iphicrates Athenienſibus præfuit, ludicrum illud commiſſum refert. καὶ γὰρ ἦν ὁ μὴν, ἐν ᾧ Ἴσθμια γίνεται. At Diodorus annum hunc eſſe dicit quartum Olymp. XCVI, quo & Iphicrates exercitum duxit, & Argivi Corinthum occuparunt. Sed idem de hoc Diodori loco judicium eſſe debet, quod de ſuperiori; in quo de Pythiis agebatur. Hic enim uno anno plerumque tardiùs res geſtas ſolet reddere. De Nemeis expreſſum apud Livium teſtimonium habemus; qui lib. XXVII. Nemea celebrata narrat eo anno, † quo T. Quinctius Criſpinus, & M. Marcellus Coſſ. fuerunt: qui eſt urbis DXLVI, quo Olympiadis CXLIII. cœpit annus primus. At Diodorus lib. XIX. auctor eſt anno II. Olymp. CXVI, Archonte Praxibulo, Nemeorum agonem inſtauratum eſſe. Verùm tarditate peccat Diodori Chronologia, ut jam diximus. Ideò malim Nemea in annum primum conjicere. Polybius quoque lib. v. pag. 439. ſcribit, Philippum Regem Macedoniæ Nemeorum ſpectaculis intentum de Romanorum ad Thraſimenum clade, nuncium accepiſſe. Eſt hic annus Urbis Varronianus DXXXVII, quo cœpit annus IV. Olympiadis CXL. ac proinde anno IV. Olympiadis Nemea ſpectacula conveniebant. Xenophon lib. IV. Ἑλλη. ſcribit Argivos, cùm Ageſilaus in eorum agros incurſionem faceret, caduceatores miſiſſe ὑποφέροντας σπονδάς, hoc eſt denuntiantes inducias, quæ in medio plerumque bello ad celebranda ludicra à Græcis omnibus obſervari ſolebant. Quod quidem identidem illos feciſſe ad evitandam hoſtium impreſſionem narrat, ut lib. v, quod vocat ὑποφέρειν τοὺς μῆνας, vel τὰς μῆνας. Verùm non legitimo tempore induciæ illæ ab Argivis indicebantur: adeò ut etiam conſultis oraculis Ageſilaus repudiandas illas cenſuerit. Præterea Νεμείων τῶν χειμερινῶν meminit Pauſanias in Argolicis p. 57. quæ hiemis tempore peragebantur. Unde ſequitur alia diverſo tempore Nemea celebrata: nimirum æſtivo. Nam Schol. Pindari in Argum. Nemeorum Panemi XII. celebrata ſcribit, qui Julio ferè reſpondet. Julianus Aug. Epiſt. XXXV, Διττὰ δέ ἐστι Νέμεα, inquit, παρὰ τοῖς Ἀργείοις, καθάπερ Ἴσθμια παρὰ Κορινθίοις. *Duplicia Nemea apud Argivos celebrantur; velut apud Corinthios Iſthmia.* Æſtiva porrò videntur præcipua fuiſſe. *

Summa dictorum omnium ſit; Pythia quinquennalia fuiſſe, ac celebrata anno ſecundo Tetraëteridos, quæ tam Olympica, quàm fortaſſe Delphica fuit. Neque enim neceſſe eſt Delphos anni caput à celebritatis tempore ſumpſiſſe; ſed exeunte populari anno ſuo ludos agere potuerunt; adeóque popularis Tetraëteridis, id eſt lunaris anno ſecundo. Quod nihil admodum intereſt. At Nemea & Iſthmia Triëterica fuerunt, celebratáque partim anno primo Tetraëteridis Olympicæ, partim tertio, ut ex Thucydide, & Pindari Scholiaſte liquet.

DE THEBANA PERIODO.

CAPUT XXXIV.

Scaligeriana figmenta refutantur ex lib. I. de Emend. Pag. 52.

PLURIMUM ἀλογιῶν hoc in caput effudit Scaliger, ubi de rebus incertis pro arbitrio vaticinatur. Vetuſtiſſimorum imprimis Bœotorum annum cœpiſſe dicit ab ortu matutino Vergiliarum, in Thargelione Attico; quod ex Heſiodo ſtatim initio lib. II. colligit; ubi de Pleiadibus ita cecinit:

> Αἱ δή τοι νύκτας τε, καὶ ἤματα τεσσαράκοντα
> Κεκρύφαται· αὖθις δὲ περιπλομένου ἐνιαυτοῦ
> Φαίνονται.

Dies, inquit, XX. antequam Sol Taurum ingrediatur, & totidem pòſt, aſſignat occultationi Pleiadum, & poſtea incipere dicit annum Thebanum. Sed clariùs idem Poëta alibi:

> Ταῦτα φυλασσόμενος τετελεσμένον εἰς ἐνιαυτὸν
> Ἰσοῦσθαι νύκτας τε, καὶ ἤματα, εἰσόκεν αὖθις
> Γῆ πάντων μήτηρ καρπὸν σύμμικτον ἐνείκῃ
> Εὖτ' ἂν ἐξήκοντα μετὰ τροπὰς ἠελίοιο
> Χειμέρι' ἐκτελέσῃ Ζεὺς ἤματα.

Manifeſtò vocat τετελεσμένον ἐνιαυτὸν *ver adultum*; nimirum ἀπὸ τῆς τῶν Πλειάδων ἀνατολῆς; ut omninò videatur idem annus Thebanus cum Pythio Delphorum fuiſſe. Quare Virgilius Heſiodum ſecutus idem anni principium conſtituit.

> *Candidus auratis aperit cum cornibus annum.*
> *Taurus.*

Hæc Scaliger: quæ meo judicio frigent. Fieri enim poteſt ut Heſiodus non civilis anni principium, ſed ruſtici, ut ita dicam, in illo loco commemoraverit. Nam quia ruſticana opera ab illo ipſo veris tempore exerceri ſolent, inde præcipiendi ab Heſiodo ſumptum eſt exordium; cùm primùm apparent Vergiliæ, quæ volvente anno rurſus oriuntur. Quemadmodum ſi quis dicat, προτρυγητὴς cùm apparet, ad vindemiam accingi oportere. quod quidem ſidus ubi occultatum fuerit, vertente anno iterùm emergere. non idcircò initium anni neceſſe eſt ab autumno deducere. Quare aliud eſt anni ruſtici, aliud civilis exordium. Ad eumdem modum Virgilius annum à Tauri ſidere, non utique popularem inchoavit.

Eſt igitur certius, annum Bœotorum à Brumali Solſtitio cœpiſſe. quod poſteà mutatione facta conſtitutum eſſe ex Plutarcho concludit Scaliger. Sed mutationem illam interveniſſe nullo argumento demonſtrat. Plutarchus in Pelopida: καί τοι χειμὼν, inquit, ἦσαν αἱ περὶ τροπὰς ἀκμαί· μηνὸς δὲ τοῦ τελευταίου φθίνοντος, ὀλίγαι περιῆσαν ἡμέραι, καὶ τὴν ἀρχὴν ἔδει παραλαμβάνειν ἑτέρους εὐθὺς ἱσταμένου τοῦ πρώτου μηνός. *Quamquam hibernum tempus erat, & brumale. Menſe verò poſtremo jam inclinante, pauci dies ſupererant; ac ſtatim ineunte menſe primo alios in magiſtratum ſuccedere oportebat.*

Caput, & ſitum periodi Bœoticæ inveſtigare conatur Scaliger. In quo ſumit illud, quod eſt temerarium, Bœotos ullam LXXVI. annorum habuiſſe Periodum: quam etiam Atticæ, atque Olympicæ ſimilem deſcribit; quaſi neceſſe ſit eumdem menſium, & intercalationum ſitum in hac fuiſſe Periodo, qui in Attica conſtituitur. Sic igitur argumentatur. Plutarchus in Ariſtide de pugna Pla-

* Statius III. Achil. *Hujus in umbra*
Alternum revocare pia trieterica matres
Conſuerant.
Quia modò in primum, modò in ſecundum annum cadebant; non ut putat Scaliger, initio Proleg. Operis de Emendatione Temporum, quia in Plenilunium, aut Novilunium. *D. Petavius.*

† Nemeorum ludicro præficitur Quinctius, anno U. C. 559. Vide *Caſaubonum* in Chron. Polyb. Scholiaſtes Pindari in Argumento, Nemea dicit celebrari XII. Πανέμου. Is eſt Junius circiter: ὁ δὲ ἀγὼν ἱππικὸς καὶ γυμνικός. Initio coronati oleâ, poſt bella Medica, ob luctum σελίνῳ.

* *Florus* Lib. & C. VII. falsò quinquennalia Nemea vocat. Ariſtides in Iſthmico ait διὰ δυοῖν ἐτοῖν celebrari fol. 102. p. 2. *Petavius.*

tæenſi ſcribit, eam contigiſſe τετράδι τοῦ Βοηδρομιῶνος ἱσταμένου· κατὰ δὲ Βοιωτοὺς τετράδι τοῦ Πανέμου φθίνοντος. Erat annus Olympiadis LXXV. ſecundus, & proinde Iphiti CCXCVIII, Periodi Atticæ XXXII, cujus Boëdromion XVII. Sep. iniit, utique ἐξαιρεσιμαῖος, ac propterea IV. Boëdromionos erat revera tertia. Unde in Camillo ſcribit victos eſſe ad Platæam Perſas tertio Boëdromionis. Nam τετρὰς dicta politicè, quæ verè τρίτη erat. Boëdromion illius anni cœpit XVII. Sep. Proinde ἡ τετρὰς, ſive τρίτη XIX. Sept. Igitur cùm XIX. Sept. fuerit XXVII. Panemi Thebani, Neomenia Panemi congruit XXIV. Auguſti: Neomenia verò menſis æſtivi, ſive Hippodromii XXV. Julii. Atqui bis tantùm menſis æſtivi caput in Periodo Olympica incidit in XXV. Julii, nempe anno XXXIX, & LXIV. Itaque annis Periodi Atticæ addenda ſunt XXXII, ut habeas annos Thebanæ Periodi: aut de annis Olympicæ deducendi ſunt VI. Exiſtimat enim hunc ipſum annum pugnæ Platæenſis eſſe Periodi Thebanæ LXIV. Quare cùm ſit Atticæ XXXII, ut fiant LXIV, addenda ſunt XXXII. Idem porrò annus eſt Olympicæ periodi LXX. Deſunt itaque ad Olympicam Thebanæ Periodo anni VI. ſed tunc, inquit, falſum erit Panemum verum eſſe Boëdromionem. Nam eſt medius inter Metagitnionem, & Boëdromionem.

Hæc Scaligeriana diſputatio tota pendet iis ex principiis, quæ toties refutata ſunt, anni videlicet Græci, ac Periodi Olympicæ, ceteríſque generis ejuſdem. Quare etiam illud eſt fictitium, annum illum fuiſſe Atticæ Periodi XXXII, Olympicæ LXX. primum quia nulla tum ejuſmodi Periodus vel uſurpata, vel cognita. Deinde quia comparatio illa Periodorum inter ſe, Atticæ nimirum, & Olympicæ, vaniſſimo fundamento nititur, nempe Plutarchi loco ab interpunctione corrupto, ut ſuo loco dictum eſt. Præterea cùm, ut agnoſcit ipſe, primi anni principium in XXV. Julii, vel anno XXXIX, vel LXIV. competat; cur annum illum pugnæ Platæenſis ſexageſimum quartum potiùs, quàm triceſimum nonum eſſe definit? Quam rationem? quam vel minimam auctoritatem attulit, ut illum annum LXIV. periodi fuiſſe decerneret? Tum verò concedatur annum illum pugnæ Platæenſis fuiſſe Periodi Olympicæ ſeptuageſimum; quid prohibet etiam Thebanæ Periodi ſeptuageſimum eſſe? Perinde enim argumentatur Scaliger, ac ſi annus ille pugnæ Platæenſis primus eſſet Bœoticæ Periodi: ideò ad methodum cenſet XXXII. annos addendos eſſe ad Periodum Atticam; quaſi initium Bœoticæ cadat in LXIV. Hæc ſunt otioſè conficta. Aut enim Bœoticæ periodi, Platæenſis pugnæ annum illum ſtatuere poſſumus, aut XXXII; ſi Periodos illas, ac fictam annorum deſcriptionem velimus admittere. Quæ cùm abſurda, & commentitia ſit; nihil eſt in hac tota diſputatione, quod vituperationem poſſit effugere.

Poſtremò ſciendum eſt primum menſem Bœotorum Βουκάτιον appellari, ut Plutarchus in Pelopida docet: quem Ληναιῶνα vocat Heſychius in voce Ληναιών. Secundus vocatur Ἑρμαῖος. Heſych. ibidem. Septimus Ἱπποδρόμιος apud Plutarchum, qui ait Leuctricam pugnam contigiſſe Bœotiis Ἱπποδρομίου μηνὸς, Athenienſibus Ἑκατομβαιῶνος ἱσταμένου τῇ πέμπτῃ. Octavus erat Πάνεμος, qui cum Boëdromione confertur. Decimus Δαμάτριος idem cum Mæmacterione. Undecimus Ἀλαλκομένιος.

In editione prima Thebanam Periodum à bruma cœpiſſe non ſecus atque in ſecunda pronunciat: cum Attica verò Periodo aliter comparat. Nam Atticæ Periodi LXVIII. annum, Tetraëteridis verò quartum facit annum illum, quo Platæenſis pugna contigit, qui eſt ſecundus Olympiadis LXXV. qui cùm Tetraëteridos Bœoticæ ſit primus, ex eo concludit Thebanam periodo ſex menſibus elapſis poſt Olympicæ Periodi primordium iniiſſe; cùm Attica anno & ſemiſſe poſt illud incipiat. Quod autem anno primo Tetraëteridos Platæenſis illa victoria contigerit, demonſtrat ex ſitu Neomeniæ lunaris in Panemo. Nam Plutarchus in Ariſtide docet Βοηδρομιῶνος ἱσταμένου quarto fuiſſe Panemi Bœotorum XXVII. Ergo cùm luminarium coitus in IV. Boëdromionis, & XXVII. Panemi convenerit; ut autem Novilunium XXVII. die menſis incidat, anni primi Tetraëteridos nonus menſis agatur; quemadmodum anno quarto competit in menſis æquabilis quartum diem: ex eo deducit fuiſſe tum annum primum Tetraëteridos Bœoticæ. Atqui, quod eſt probationis caput, non refert Plutarchus quarto illo Boëdromionos die Novilunium accidiſſe: idque de ſuo liberaliter admetitur Scaliger. Unde vana eſt ejus ratiocinatio. Porrò quamvis in editione altera totam hanc argumentationem reſciderit, nihilominus quod de primo anno Tetraëteridos παραλογιστικῶς concluſerat, quaſi demonſtratum jam eſſet imprudens retinuit; & perinde diſputavit, ac ſi confeſſum hoc jam eſſet, annum illum Bœoticæ Tetraëteridos primum exſtitiſſe.

DE PERIODO SYRACUSANA.

CAPUT XXXV.

Scaligeriana doctrina refellitur ex lib. I. pag. 54.

PERIODUM Syracuſanam ab Olympica non differre probat ex Eclipſi quadam Scaliger, quæ contigit anno quarto Olympiadis XCI, qui erat annus XIX. ab initio belli Peloponneſiaci; cùm in Sicilia victi eſſent Athenienſium duces Demoſthenes, & Nicias. Defecit enim luna nocte, quæ ſecuta eſt XVII. Auguſti anno Per. Jul. 4301. *Et ſtatim*, inquit, *nocte altera Nicias inhoneſtè ſe recipiens, ex ſuperſtitione lunaris deliquii hoſtibus ſe cum toto exercitu interficiendum objecit.* Hæc Eclipſis confertur à Plutarcho in Carnii menſis τετάρτῃ φθίνοντος, quem Carneum poſteà cum Metagitnione comparat. *Erat annus Per. Olymp.* LX, *Atticæ* XXII. *cujus Hecatombæon* XXV. *Julii: Metagitnion* XXIV. *Auguſti. Contigit igitur Eclipſis nocte, quæ ſecuta eſt quartam diem Metagitnionis. Idcirco Neomenia* Καρνείου *incidit in Kal. Aug. fuit ergo* Καρνεῖος *illius anni aliquantum particeps Metagitnionis: ſed ipſe revera eſt Hecatombæon Atticus.* His poſitis ita ratiocinatur. *Ut Hecatombæonis Neomenia incidat in* X. *Julii, hoc non poteſt contingere niſi in anno Periodi* LX. *Atqui is annus erat Periodi Olympicæ* LX. *Ergo Periodus Syracuſana eadem cum Olympica fuit.* Hæc ille.

Sed eſt tanta diſputationis iſtius abſurditas, ut neque judicii, neque rationis ſpeciem præ ſe ferat ullam. Omitto, quod ſæpius à nobis eſt objectum, totum hoc Periodorum negotium eſſe confictum. Hoc unum inſiſto, planè cæcum, cùm iſta ſcripſit, fuiſſe Scaligerum, qui Plutarchi locum illum, quo uſus eſt, non animadverterit: neque quod ibidem legitur, & ad rem valdè pertinet, cùm id in Editione prima poſuiſſet, in hac poſteriore commemoraverit. Scribit itaque Plutarchus in Nicia, non quidem eclipſim Καρνείου δ'. φθίνοντος accidiſſe; ſed eo ipſo die interfectum eſſe Niciam; quod multis poſt Eclipſin diebus contigit. Etenim refert ille Niciam in fuga, quæ Eclipſi poſterior eſt, totis octo diebus continuis ab hoſtibus laceſſitum; ac pleroſque Athenienſes occiſos; quod nono die poſt Eclipſim factum eſſe priori in editione docuit. Verùm ex Thucydide conſtat duodecim ferè, aut etiam pluribus poſteà contigiſſe. Nam lib. VII. ſcribit Athenienſes tertio die poſt navalem pugnam diſceſſiſſe. Eclipſis autem etiam aliquot ante ναυμαχίαν diebus eſt commiſſa. Cùm enim Nicias redire vellet in patriam, navéſque conſcendere, ſubito illo Lunæ deliquio territus ibidem conſtitit. Qua re animadverſa, Syracuſani ad navale certamen accinguntur. τὰς δὲ ναῦς ἐπλήρουν, καὶ ἀνεπαύοντο ἡμέρας, ὅσαι αὐτοῖς ἐδόκουν ἱκαναὶ εἶναι. *Quieverunt aliquot diebus, quot ſatis eſſe videbatur.* Poſtea navale certamen initum eſt; à quo τρίτῃ ἡμέρᾳ ἡ ἀνάστασις ἐγένετο τοῦ στρατεύματος. Qua in fuga octo diebus à Syracuſanis vexatus, nono tandem, aut decimo captus eſt, τετράδι φθίνοντος Καρνείου. Ex quibus omnibus duodecim fermè dies ab eclipſi ad obitum Niciæ colliguntur; apparétque Plenilunium illud eclipticum Carnii menſis XV. die contigiſſe, à quo ad XXVII. dies lapſi ſunt XII. Quamquam in editione prima octo tantùm dies ab eclipſi ad Niciæ cædem interceſſiſſe velit, contra fidem hiſtoriæ: unde aliter de contextu Carnii menſis, & ſitu Neomeniæ ſuſpicatur. Fruſtrà ergo conflictatur Scaliger, cùm in utraque editione ex eo, quod Plenilunium in hanc aut illam diem æquabilis menſis incurrit, de Tetraëteridis, ac Periodi contextu vaticinatur. Quid quod in iis ipſis ſomniis à ſe ipſe diſſentit? Nam anno Periodi Atticæ XXII. Hecatombæon non XXV. Julii, ſed XXIV. convenit: Metagitnion autem XXIII, non XXIV. Auguſti, ut ex Atticarum Neomeniarum tabula con-

ſtat. Unde eclipſis illa non Metagitnionis IV, ſed V. deberet congruere. Sed hæc fortaſſe leviora. Illud graviſſimum παρόραμα, quòd Plutarchi mentem adeò ſiniſtrè accipit.

Quod verò ſubjicit, ne ipſe quidem intelligere potuit. *Annus*, inquit, *erat Periodi Olympicæ* LX. *Ut autem Neomenia Hecatombæonis incidat in* X. *Julii, non niſi anno* LX. *Periodi contingere poſſet.* Quæ eſt iſta ratiocinatio? An enim Hecatombæon illius anni decimo Julii convenire debuit? Atqui in XXV. Julii cadere paulò antè docuit: Metagitnionem verò in XXIV. Auguſti. Erit igitur XXXIX, aut LXIV. annus Periodi; quibus ſolis annis Metagitnion in Auguſti XXIV. diem incurrit: non erit autem LX, quo anno Hecatombæon X. Julii, Metagitnion Auguſti IX. competit. Quàm eſt porrò falſum illud, & inſubidè pronuntiatum, Neomeniam Hecatombæonis non convenire in diem Julii X, niſi anno LX
pag. 38. Periodi Olympicæ! Vide diagramma Neomeniarum Periodi Olympicæ. Invenies quater omnino Hecatombæonem à Julii X. die incipere, nempe anno IX, XXVI, XLIII, & LX. Deinde cur uſitata illa, & à ſe conſtituta methodo non utitur; ut ex Novilunii die quotus ſit annus Tetraëteridis inveſtiget; indidémque colligat quot Cyclis alterutra alteram antecedat; ut in Attica factum eſt? Hoc enim modo cùm in XXVII. ſecundi menſis, id eſt Metagitnionis, Plenilunium convenerit, Novilunium commiſſum erit menſis Tetraëterici XIII; quod in nullo Tetraëteridis menſe contingit. Verumtamen anno tertio Tetraëteridis Novilunium Metagitnionis XIV. competit, quod abeſt proximè. Erit igitur annus quartus Olympicæ Tetraëteridis, Syracuſanæ Tetraëteridis tertius: ideóque primus Olympicæ, quartus erit Syracuſanæ. Unde etiam uno cyclo ſeſe invicem antecedent, hoc eſt annus unius XX. erit primus alterius.

Hæc, ut in rebus commentitiis ſibi conſtaret Scaliger, de Syracuſana, & Olympica Periodo tradere debuerat; quemadmodum in Attica, ceteriſque fecerat. Quod etſi feciſſet, nullum tamen operæ pretium inde nactus eſſet: quoniam ex falſis principiis non niſi falſa colliguntur.

Addit in fine Scaliger Periodum Syracuſanam ab Archimede poſtmodum illuſtratam eſſe, additis menſibus Calippicis, edito ea de re libro, cum fabrica ſphæræ; cujus Periodi meminiſſe vult his in verſibus Poëtam:

In medio duo ſigna Conon; & quis fuit alter
Deſcripſit totum radio qui gentibus orbem;
Tempora quæ meſſor; quæ curvus arator haberet?

Orbis, inquit, hic periodum ſignificat, & per alterum hunc Archimedem intelligit. Sed hoc inſulſiſſimum eſt. Nam neque periodus ulla Syracuſana fuit: & *orbis* non aliò, quàm ad terrarum, mundíque deſcriptionem refertur.

DE PERIODO LACONICA.

CAPUT XXXVI.

Scaligeriana commenta diſcuſſa. Ex lib. I. *Pag.* 55.

EADEM eſt, inquit, Tetraëteris Laconica cum Olympica: ſed Periodus Laconica XII. annis antecedit Olympicam. Quod ita demonſtrat. Anno tertio Olympiadis LXXXIX, ſub finem hiemis vere ineunte, fœdus annorum quinquaginta inter Athenienſes & Lacedæmonios ictum eſt. Hoc Thucydides accidiſſe narrat Artemiſii τετράδι φθίνοντος apud Lacedæmonios, id eſt die menſis XXVII: Athenis verò Alcæo Archonte Ἐλαφηβολιῶνος ἕκτῃ φθίνοντος, id eſt XXV. die. Erat annus Periodi Olympicæ LI. Atticæ XIII. Elaphebolion XXV. Martii. Proinde Artemiſius Laconicus cœpit XXVII. Martii. Hoc autem in Olympica periodo non contingit, niſi anno XXXVIII, aut LXIII. Sed non congruit cum XXXVIII, quia is eſt annus Tetraëteridis ſecundus; hic verò eſt tertius. Ergo annus Tetraëteridis Laconicæ idem eſt cum anno Olympicæ: atque adeò XII. addenda annis Periodi Olympicæ, ut habeas annum Laconicum. Sed non propterea, inquit, congruerit Cyclo. Quare hæc ignota ſibi eſſe concludit. Quoties in iſtiuſmodi periodos ſtudioſus lector incidit, hoc ſubinde apud ſe cogitare debet, nullas omninò tales Periodos a Græcis civitatibus ad uſum popularem adhibitas, adeóque multis modis abſonas, ac ridiculas eſſe. Quod ſemel à nobis ſuprà demonſtratum, ad omnia, quæ deinceps in hoc opere de Periodis iiſce traduntur, confutanda pertinet. Nunc ut propiùs Laconicam ipſam Periodum oppugnemus; primùm illud inficiamur; Elaphebolionem Atticum XXV. Martii anno illo congruere. Ut enim hoc verum ſit, certò ea conſtare debent, ex quibus tamquam principiis deducitur: nimirum Athenienſes civilem annum habuiſſe CCCLX. dierum; cujus menſes tricenarii forent. Tum verò annum XXXIX. Olympicæ Periodi eſſe primum Atticæ. Quæ duo cùm ſuprà à nobis everſa ſint, hoc verò poſterius ex perperam intellecto Plutarchi loco concluſum ſit, futilis eſt inſtituta Periodorum hoc in loco comparatio. Ad hæc licèt ambo illa fundamenta certa, & ſtabilia ſint, non tamen iis erunt conſentanea, quæ ſequuntur. Unde enim ariolatus eſt annum illum, qui eſt Tetraëteridis Olympicæ tertius, perinde & Laconicæ tertium eſſe? Qui quidem cardo eſt mendaciſſimæ ratiocinationis. Etenim fieri poteſt, ut cùm Olympicæ Tetraëteridis tertius foret, Laconicæ tamen eſſet primus, aut ſecundus, aut quartus. Neque enim Novilunium ullum eſt, ex quo quotus in Tetraëteride fuerit divinare liceat. Cur igitur non ſit annus Olympiadicæ Periodi XXXVIII, nullam cauſam reddidit. Atqui lunares iſti menſes ſunt, non tricenarii. Cùm autem Lacones à corniculata lunæ effigie, ſive a tertio die Neomeniam auſpicarentur, inde factum eſt, ut XXV. Attici Elaphebolionis dies, ſit Artemiſii XXVII. Ubi vides biduo Laconicas Neomenias, lunares, & Atticas morari. Quod cùm in prima editione tenuerit, in hac poſteriore diſſimulavit, ut nos uſitatis illis Periodorum, ac Tetraëteridum fabulis implicaret. Denique quod hîc ſtatuit, Periodum Olympicam duodecim annis anteriorem eſſe Laconica, contradicit ei, quod pag. 39. edixerat, Periodos omnes differre annis vel XIX, vel XXXVIII, vel LVII, id eſt uno, duobus, aut tribus cyclis. Vides inconſtantiam.

CAPUT XXXVII.

De Periodo Samiorum. Lib. I. *Pag.* 56.

ARISTARCHUM Samiis Periodum inſtituiſſe cœptam ab anno L. Periodi primæ Calippicæ cenſet Scaliger: quod ex eo collegiſſe videtur, quod, ut refert Ptolemæus l. III, Ariſtarchus illo ipſo anno, qui in annum Per. Jul. 4434. incidit, æſtivum Solſtitium deprehendit anno Iphiti DXCVI. deſinente, Olympiadis CXXIV. anno exeunte quarto. Hinc igitur Periodum ſuam auſpicatum eſſe cenſet Ariſtarchum, ad eámque Calippicos menſes applicaſſe; donec, inquit, annis poſtea LVII, Conon popularis Ariſtarchi faſtos edidit, & parapegmata, hoc eſt τῶν φαινομένων ἀποκαταστάσεις appoſuit. Quod Virgilius ſignificat.

Sed hæc omnia divinantur à Scaligero, & auctoritate nulla probantur. Quis enim mortalium docet Ariſtarchum ullam inſtituiſſe Periodum; aut verò à Samiorum populo receptam? Quis, ut inſtituta ſit aliqua, ejus initium ab anno illo, quo Solſtitium obſervatum eſt, arceſſitum eſſe demonſtrat? Omnia id genus commenta è ſuperioribus evaneſcunt. Simillimum eſt aliud, quod eodem capite ſubtexuit, reliquas omnes civitates ſuas habuiſſe Periodos, & omnes τὰς ἀνάρχους menſi ultimo Autumnali adjeciſſe: nec obſtare quod magiſtratus alii aliis temporibus creari ſolerent: Etenim ii menſes, inquit, erant lunares πρυτανείας. Sic Polybius lib. IV. de Ætolis. τὰς γὰρ ἀρχαιρεσίας Αἰτωλοὶ μὲν ἐποίουν μετὰ τὴν φθινοπωρινὴν ἰσημερίαν, Ἀχαιοὶ δὲ τότε περὶ τὴν Πλειάδος ἐπιτολήν. Ubi illud τότε notari jubet; quo ſignificatur non ſemper eo tempore creari ſolitos, ſed ſine dubio ante brumam ἐν ταῖς ὑπερβαλλούσαις ἡμέραις. Gratis hæc omnia diſputantur, & ſolo fingentis arbitrio Periodi omnes iſtæ, cum diebus ἀνάρχοις, & lunarium τῆς πρυτανείας à popularibus diſcrimine, nituntur. Quare ut in comminiſcendo audax eſt Scaliger, ita nos in negando eo, quod ab illo ponitur, vel probatione ejus aliqua poſtulanda, pertinaces eſſe debemus.

CAPUT XXXVIII.

De anno Græco Herodoti, cujus Scriptoris auctoritas à Scaligeri calumnia vindicatur. Ex lib. I. *P.* 57.

HERODOTUM vehementer exagitavit Scaliger, quòd de anno Græco agens ſcripſerit poſt biennium abſolutum intercalari ſolitum; ita ut ſecundus annus haberet dies CCCXC, & omne biennium dies DCCL. Affirmat enim annum Græcorum eſſe dierum CCCLX, & LXX. annos conſtare diebus 25200, ſi intercalatio non intervenerit: additis autem menſibus intercalaribus XXXV. τριακονθημέροις, qui ſunt dies 1050, confieri ſummam dierum 26250. Herodoti verba ſuprà cap. IV. produximus. Sed hoc Herodoti dictum valdè reprehendit, & ejuſmodi eſſe dicit, ut non ſolùm propter abſurditatem explodendum ſit, ſed etiam tamquam temerè pronuntiatum prætereundum.

Atqui mirè perplexus, & ſuo more inconſtans eſt Scaliger. Etenim cùm in Herodotum acerrimè ſit invectus; poſtea tamen ſub finem eò delabitur, ut ex Gemini auctoritate, eamdem illam, quam oppugnarat, anni formam fateatur uſu aliquando receptam. Quid igitur commiſit Herodotus, ut tam ſevera animadverſione caſtigaretur? Utri potiùs adhibenda fides eſt? Antiquiſſimóne Scriptori, hiſtoriæ parenti, &, quod caput eſt, Græco, ac Græcis ſuis ſcribenti; an recentiori iſti conjectori, qui vetuſtiſſimis, ac peregrinis de rebus contra eos ipſos, à quibus didicit, pronuntiare non veretur? Quis autem Scaligerianam mentem expiſcari poſſit? Poſtquam enim Herodotum exploſit, qui ejuſmodi formam anni Græcis uſitatam eſſe dicebat, cúmque abſurdè, ac falsò ſcriptum illud ſtatuiſſet, ſubinde velut eorum, quæ dixerat, oblitus: *Sed tamen*, inquit, *non nego antiquitùs eam anni formam in uſu fuiſſe: præſertim cùm Geminus accuratiſſimus ſcriptor idem teſtetur.* Si igitur hæc anni forma quondam in uſu fuit; vera ſunt quæ Herodotus affirmat; nec Herodotus ſolùm, ſed qui ab eo iſtud accepit, Geminus, itémque Cenſorinus; uti ſuprà declaratum eſt in Diatriba de anno Græcorum. Quo in loco Græci anni genus Herodoteum ex iiſdem auctoribus explicavimus. Cum enim Græcorum antiquiſſimi lunarem annum, ut erant tum rudiora tempora, juſto longiorem uſurparent, ac tricenarios menſes ſingulos ſtatuerent, & altero quoque anno intercalarent ſolidum, ac tricenarium menſem, eorum poſteri ad uſque tempus Herodoti, ſaltem in aliquibus civitatibus, eamdem anni diſpoſitionem, ac formam retinuerunt. Quamquam certum ſit dierum aliquot exemptione paullatim annum ſuum caſtigaſſe, eóque modo ταῖς ὥραις, id eſt tempeſtatibus conſuluiſſe, quas quidem ad eaſdem metas, unde erant profectæ, quantum illorum captus ferebat, revocare cupiebant: etſi propter lunaris, ac ſolaris motus inſcitiam longiùs aberrabant. Vide quæ illic pluribus expoſita ſunt.

Redeo ad Scaligerum, qui injuriâ ſanè inſectatur Herodotum; eumdémque nihilominus poſtea vera ſcripſiſſe confirmat. Sed quibus tandem argumentis refellit? Scribit, inquit, Herodotus, ὡρέων εἵνεκεν poſt ſecundum quemque annum intercalaſſe Græcos. At ὡρέων εἵνεκεν non opus erat tertio quoque ineunte intercalare. Verùm perperam ſanè facit Scaliger; dum antiquos illos ad exacta ſolaris anni ratiocinia revocat. Quippe vel lunaris anni ſolius in Trieteride ſua rationem habebant, vel ſolarem perinde annum juſto longiorem ſtatuebant. Sed probabilius eſt Trieterides, quibus tum uſos eſſe Græcos Cenſorinus auctor eſt, ad lunam ſolùm conformatas fuiſſe, & dierum aliquot exemptione, atque omiſſione fortaſſis intercalarium, civilem annum ad metas ſuas eſſe revocatum. Atque ut abſurdiſſimè falſiſſiméque iſta ſcripſerit Herodotus, cur ea probantur à Scaligero? Cur ſecum ipſe confligit? *Ponamus*, inquit, *Græcos hoc factitaſſe* (*ut non negamus potuiſſe fieri*) *ac tertio quoque anno ineunte tricenarium menſem intercalaſſe: non igitur* ὡρέων εἵνεκεν. *Si non* ὡρέων εἵνεκεν, *ergo non fiebat omninò. Nam omnis intercalatio fit* ὡρέων εἵνεκεν. In his manifeſtiſſima eſt pugna. Nam ſi omnis intercalatio eſt ὡρέων εἵνεκεν: veteres autem Græci ὡρέων εἵνεκεν intercalare non potuerunt, non potuerunt formam illam uſurpare; quod tamen fieri potuiſſe non negat, & ſub finem capitis propter Gemini auctoritatem ultrò concedit. Contradicit ergo ſibimetipſi, & diſputationem ſuam implicat. Neque conjectura illa, quam affert, Herodoteæ hallucinationis probabilis eſt, cùm annus diebus conſtaret CCCLIV, & menſes alternis pleni eſſent, atque cavi; quod nihilominùs in omnibus ἡ τελεκὰς numeraretur, perinde omnes habuiſſe, ac ſi revera tricenarii forent. Hoc, inquam, à Scaligero dici minimè convenit; qui civilem Græcorum annum non lunarem, dierúmque CCCLIV, ſed CCCLX. fuiſſe pertinaciſſimè defendit. Sed de anno Herodoti, & priore libro hactenus.

Epilogus Libri primi.

DEmonſtratum eſt igitur hactenus falſam, & commentitiam eſſe anni Græci formam, ac Tetraëteridum diſpoſitionem, necnon Olympiacam, Atticámque Periodum, ac quicquid in Atticorum menſium ſerie novi à Scaligero repertum eſt, unà cum Macedonica Periodo duplici, æſtiva, & autumnali: tum verò Periodos ceteras, Bithynicam, Delphicam, Thebanam, Syracuſanam, Laconicam, ac Samiam confictas eſſe: Herodotum verò fruſtrà, & injuriâ vexari: quæ ſunt Capita Libri primi.

Quicquid igitur in Libro primo de Emendatione temporum editionis utriuſque, & in Iſag. Canonibus de annis Græcorum popularibus, & Periodis novum, atque à ſe primum repertum attulit Scaliger, hoc omne falſum, & commentitium eſt. Quod erat demonſtrandum.

PROBLEMA LIBRI II. DE DOCTRINA TEMPORUM.

QUicquid in Libro ſecundo de Emendatione Temporum editionis utriuſque, nec non in Iſagogicis Canonibus Lib.* 1, *capitibus* VI, VII, VIII, IX, X: *& Libro III, capitibus* VI, VII, VIII, IX, X, *novum, & ad communem, ab aliiſque traditam doctrinam additum Joſephus Scaliger explicavit, id omne falſum, aut temerè affirmatum, & commentitium eſt.